

LIBRARY
OF
UNIVERSITY OF TORONTO
NE 8 '14

SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO BARUTHINO

LOCIS HORISQUE CONSUETIS

RITE CELEBRANDA

RECTORIS COLLEGIIQUE NOMINE

INDICIT

FR. SARTORIUS

~~GYMNASII PROFESSOR~~

INSUNT:

QUAESTIUNCULAE LIVIANAE.



BARUTHI MDCCLX.

EX OFFICINA HOERETHIANA.

20110211 11:23:11

20110211 11:23:11

20110211 11:23:11

20110211 11:23:11

Livii libros quum accuratius legerem Weissenbornium potissimum ducem secutus, in locos quosdam incidi, ad quos aut interpretandos aut emendandos nec quae Weissenbornius, nec quae alii interpretes, quos consulebam, attulerunt satis recte dicta videbantur. Quos locos collectos in publicum proponere non alienum putavi a scriptiuncula scholastica, magnopere gavisurus, si Weissenbornio, viro de Livio et emendando et interpretando optime merito, unum alterumve eorum, quae dixissem, probarem.

II, 5. 8.

Nudatos virgis caedunt securique feriunt, cum inter omne tempus pater vultusque et os ejus spectaculo esset eminente animo patrio inter publicae poenae ministerium.

Offendunt verba **eminente animo patrio**. Neque enim assentiri possum Weissenbornio de conatu ea intelligenti: „**eminente patrio animo** kann hier den Sinn haben, indem die Vaterliebe des Brutus hervorbrechen wollte, da das part. praes. auch sonst von dem conatus gebraucht wird s. c. 6, 2; 7, 16. 3; 40, 58. 3; 4, 19. 5; 10, 19. 1; 26, 31. 4.“ Nam primum quidem illorum locorum ratio alia videtur esse atque hujus. Illis enim actionem non perfectam sed inchoatam tantum esse ex verbo finito intelligitur: se regem **augentem** bello Romanum imperium pulsum — Marcus nihil sumendo **augenti** rem privatam militi favit — Gallos **spollantes** Delphos fama est peremptos esse — **adsurgentem** ibi regem umbone resupinat — **digredientes** jam consules legati tribunique circumstant — **tradentes** urbem principes Syracusanorum aversatus sum. Deinde ne sententia quidem huic loco videtur satis apta, ubi, quum relatum sit omnium oculos in patris os vultumque conversos fuisse, dicendum fuerit, non quid in **animo** patris factum sed quid in ore vultuque conspectum esset. Et est ea verbi **eminendi** notio. Ita infra c. 35, 6 dicitur factum esse, ut Coriolani major ira in suos emeret crebraeque nunc querelae nunc minae perciperentur. Cic. Sext. Rosc. Am. c. 41: quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet. Eminebat igitur animus patrius nihil aliud est, nisi animus patrius conspicuus erat. Quid igitur? Prodidit Brutus, quum supplicium a filiis sumeretur, patrium animum? At reclamant Dion. et Plutarch. patrem, quum supplicium a filiis exigeret, ore ac vultu immutato fuisse testantes. *Τῶν μὲν ἄλλων*, inquit Plutarchus, *οὐ δυναμένων προσορᾶν οὐδὲ καρτερούντων, ἐκείνον δὲ λέγεται μῆτε τὰς ὄψεις ἀπαγαγεῖν ἀλλαχόσε μῆτ' οἰκτῶ τι τρίψαι τῆς περὶ τὸ πρόσωπον ὀργῆς καὶ βαρύτητος ἀλλὰ δεινὸν*

ἐνορᾶν κολαζομένοις τοῖς παισὶν, ἄχρῖς οὐ κατακτείναντες αὐτοὺς ἐπὶ τοῦδαφος πελέκεσι τὰς κεφαλὰς ἀπέκοψαν. Quorum de auctoritate nihil derogant Virgil. verba Aen. VI, 823. Nam ne is quidem auctor est, tum maxime in exsequendo supplicio amorem patrium in vultu patris conspicuum fuisse. Denique si quaesiverimus, in Bruti personam, qualem quidem alterius conditoris Urbis fingeant scriptores Romani, utrum magis cadat dolorem oppressum tenere patriae amore an titubare animo et dubitationem prae se ferre, manifestum erit, non potuisse Livium referre eminuisse in ore Bruti amorem patrium.

Fuerunt, qui, ut Livius cum ceteris auctoribus consentiret, scribi censerent pro **eminente emineretne**, „ob er durch den Ausdruck des Vatergefühls auffallen werde.“ Sed quis est, qui credat Livium ita scripsisse! Quod enim quilibet sua sponte intelligit, quid homines videre voluerint vultum et os patris spectantes, diceret scriptor, quod audire cupimus, reticeret.

Eodem nomine vituperanda videtur Alschefskii interpretatio: „indem die Aufmerksamkeit Aller darauf gerichtet war, wie sich bei dieser Handlung das Gefühl des Vaters werde zu erkennen geben;“ nisi quod eadem non perspicio quomodo e Livii verbis elici possit.

Quid igitur statuendum? Ego suspicor, ante **eminente** particulam negativam excidisse. Qua reposita Livii narratio cum ceterorum auctorum relatione consentit, a qua qui Livium discessisse putant humanitate ductum, ut Brutum minus ferocem fingeret, ii videntur obliti esse Livium rerum gestarum scriptorem non poetam fuisse. Accedit, quod ne sic quidem Brutus dicitur omnis patrii animi expertus fuisse sed tantum inter publicae poenae ministerium immutatus.

Particula **non** item XXX, 23. 6 in libris manusc. omissa ab interpretibus restituta est. Adjungam duos alios locos, quibus et ipsis negatio videtur reponenda.

X, 31. 15.

Quinam sit ille, **quem pigeat** longinquitatis bellorum scribendo legendoque, quae gerentes non fatigaverunt?

Alii libri habent **non pigeat**, alii omittunt negationem. Aldus prius omisit eam, deinde in erratis eam reposuit. Glareanus non intelligere se fatetur, quamnam eo loco vim habeat. Drakenborchius denique adjungit: si id mei arbitrii sit, voculam **non** delebo. Et omiserunt eam et Weissenbornius et Alschefskius.

Videamus, quid ad sententiam valeat et addita negatio et omissa. Quo facto facile apparebit, retinenda sit an abjicienda. Et servata quidem negatione haec nascetur sententia: tam diutina fuerunt bella cum Samnitibus gesta, ut vel legentem vel scribentem longinquitatis eorum pigeat, quod idem legimus VI, 12. 2: non dubito praeter **satietaem** tot jam libris assidua bella cum Vulscis gesta legentibus et q. s.

Rejecta negatione haec orietur sententia: tanta fuit Samnitium in illis bellis gerendis contumacia, ut nemo debeat in iis legendis aut scribendis defatigari.

Atqui minus aptum videtur legentes adhortari, ne eos pigeat legere ob eam causam, quod Samnites fatigati non sint gerendis illis bellis. Quis est enim, qui tali argumento moveatur? Contra, si negatio reponitur, ea ratione scriptor admirationem fortitudinis et constantiae illarum gentium excitat fatigatas esse

negans illas gerentes ea bella, quae vel legere vel scribere neminem non pigeat, idemque, dum simulat, vereri se, ne legentes pigeat, studium eorum legendi excitare conatur. Quae si vera sunt, negationem deesse non posse manifestum est.

Eodem vitio laborare mihi videtur:

Xenoph. Hell. VI, 4. 24. *εἰ δ' ἐπιλαθίσθαι, ἔφη, βούλεσθε τὸ γεγενημένον πάθος, συμβουλεύω ἀναπνεύσαντας καὶ ἀναπαυσάμενους καὶ μείζους γεγενημένους τοῖς ἀηττήτοις οὕτως εἰς μάχην ἵεναι.*

Leuctrica pugna facta Iason Pheraeus Thebanis Lacedaemoniisque suasit, ut bello abstinerent. Et Thebanos quidem admonebat, caverent, ne bellum persequentes id quod Leuctrica victoria nacti essent in aleam darent, Lacedaemonios, ut pacem componerent, id jussit considerare, quanto minores spiritus gereret victus exercitus victore. Deinde pergīt *εἰ δ' ἐπιλαθίσθαι κ. τ. λ.* At si cladis acceptae oblivisci volunt, quid est, quod iis suadeat, ut pugnam, postquam vires receperint, renovent? Quid igitur? Videtur *μη'* ante *βούλεσθαι* excidisse. Qua restituta haec erit sententia: si memoriam cladis acceptae non vultis deponere, exspectate saltem opportunum tempus. Ubi vires refeceritis, tum bellum cum Thebanis redintegratote.

II, 13. 9.

Et apud regem Etruscorum non tuta solum sed honorata etiam virtus fuit, laudatamque virginem parte obsidum se donare dixit; ipsa quos vellet legeret.

Ad haec verba W. annotat: pronomen relativum quos solito generi obsidis sese accommodavisse, quum Livius virgines tantum obsidum loco Porsenae traditas esse prodat non etiam juvenes ut Dion. et Plutarch. quorum hic in vit. Popl. 18 refert: *ἐπὶ τούτοις ὁμήρους ἔδωκαν ἕξ εὐπατριδῶν περιπορφύρους δέκα καὶ παρθέτους τσσαύτας.* Quod nec per se est verisimile, puellas tantum pro obsidibus Porsenae traditas esse, cum antiquis temporibus muliebrem sexum minus honoratum fuisse virili constet, nec, ita a Livio proditum esse unde conjici possit, equidem intelligo. Imo in promptu mihi videtur esse, Livii narrationem cum illorum auctorum hac in re consentire, quamquam non nominatim puerorum mentionem facit. Quid enim? Ubi regi nuntiatum est, Cloeliam virginem una cum ceteris, quae obsidum numero a rege retinebantur, aufugisse, ille ira incensus oratores Romam ire jussit ad Cloeliam obsidem deposcendam, alias haud magni se facere. Restituerunt Romani Cloeliam. Utrum etiam reliquae redditae sint nec ne, Livius non commemorat, nec vero consentaneum est, reddidisse Romanos quod non esset repetitum. Cloelia quum revertisset, rex virginem laudatam parte obsidum se donare dixit. Quorumnam? Eorumne, qui aufugerant? At illae virgines aut non redierant, aut si redierant, non erat satis dignum rege minus dare quam ab initio pollicitus erat. Conceditur igitur Cloeliae pars eorum obsidum, qui remanserant. Qui utrum mares fuerint au puellae, etsi Livius non plane ac diserte dicit, tamen, si quae sequuntur accuratius inspexerimus, vix in ambiguo fore mihi videtur. Productis enim omnibus dicitur elegisse Cloelia impubes, id quod Livius addit et virginitati decorum et consensu obsidum ipsorum probabile fuisse, eam aetatem potissimum liberari ab hoste, quae maxime opportuna injuriae esset. Impubes elegisse puellas cur virginitati ejus decorum fuerit, aut puellae impubes cur injuriae opportuniores habendae fuerint virginibus, non intelligo, intelligo, cur impubes pueros elegisse virginitati magis decorum fuerit et cur ii injuriis opportuniores

habendi fuerint adolescentibus. Inde colligo Livium non minus quam Dionys. et Plat. significare et virgines et pueros Porsenae pro obsidibus esse datos.

II, 24. 5.

Nec posse, quum hostes prope ad portas essent, bello praevertisse quidquam. Ea verba quum corrupta esse compareat, Madvigius censet deleta voce posse legendum consules, W. pro posse reponendum ipsos i. e. consules. Quid, si vitium latet non in voce posse sed in voce praevertisse, quod facile potuerunt adduci librarii, ut mutarent ad instar ceterorum infinitivorum perfecti qui sequuntur? Illa voce in praeverti mutata omnia videntur recte se habitura esse.

II, 40. 8.

Sed ego nihil jam pati nec tibi turpius quam mihi miserius possum, nec ut sum miserrima, diu futura sum.

In his verbis interpretandis W. recte negat, particulam nec post nihil positam aliam vim habere posse quam disjunctivam. Alschevskius enim prius nec cum nihil conjungendum esse censuerat, quemadmodum nihil non scribi solet. Minus mihi quidem probatur ratio, qua obscuro loco lucem afferre conatur. „Die ungewöhnliche Construction scheint dadurch veranlasst, dass Livius ein zweites Glied mit nec, welches sich in einer Handschrift findet, folgen lassen wollte, statt dessen aber, um durch eine Vergleichung das schändliche Verfahren des Sohnes stärker zu bezeichnen, quam mit dem Comparativ hinzufügt.“ Quae interpretatio, etiamsi minus accessita esset, tamen mihi non placeret, quod quae inde nascitur sententia ab hoc loco mihi videtur aliena esse. Quid enim? Ego, inquit Vetoria, nihil jam possum pati, quod non tibi turpius sit, quam mihi miserius. At, quod liberi et conjux, si Coriolanus Urbem oppugnare perget, passuri sunt, minus patri turpe erit, quam illis miserum? Id me adducit, ut veram esse judicem Gaert. cod. lectionem, quam Bekkerus et Ingerslevius amplexi sunt: Ego nihil jam pati nec tibi turpius nec mihi miserius possum: liberi scilicet et uxor pati possunt tibi turpius, sibi miserius.

Unius codicis auctoritate ducti Alschevskius et post eum W. pro ut sim scripserunt ut sum. Minus recte, nisi fallor, quum particula ut ea quam hoc loco obtinet vi cum conjunctivo soleat conjungi. Si quis enim de se dixit: ego nihil jam miserius pati possum, is, quamvis miser sit, tamen quodammodo negat, miserimum se esse comparatum scilicet iis, qui etiam miserius aliquid pati possint. Igitur pergens dicere potest: ut i. e. licet miserrimus sim.

IV, 3. 7.

Perinde hoc valet, „plebejus ne consul fiat“, tanquam servum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat?

Ita W. scripsit J. F. Gronovio auctore locumque ita interpretatus est: „Die Patricier stellen ihre Forderung, es soll kein Plebejer Consul werden, mit solcher Indignation auf, als ob Jemand verlangte, u. s. w., d. h. sie stellen auf diese Weise die Plebejer den Slaven gleich, daher: in quanto cont. etc.“ Sed primum

quidem non video, ut perinde hoc valet explicari possit „sie stellen ihre Forderung mit solcher Indignation auf“, deinde tanquam dicat per: als ob Jemand verlangte. Accedit, quod, cum illa membra: stare urbs haec non poterit, de imperio actum est, ironice dicta sint, tertium non potest non eadem ratione accipi, id quod Weissenbornii interpretatio non videtur admittere. Illa tamen haud scio an W. ipsi minus satisfecerit: adjicit enim: „Reiz vermuthet: plebejusne c. f. an quem servum.“ At si illam lectionem plebejusne, quae in editionibus ante Gronovium fuerat, reposuerimus, nec mutatio necessaria esse videbitur et omnia plana erunt. Jam locum ita interpretor: num perinde valet, si quis rogationem fert, quam ego, plebejumne consulem fieri populus jubeat, ac si quis dicat, servum aut libertinum consulem fieri? Binae igitur res inter se opponuntur plebejus et servus aut libertinus, et rogatio, quae et juberi possit et rejici, et lex perlata. Tantam igitur rabiem criminatur tribunus adversariorum esse, ut idem valere putent, si quis roget, ut liceat hominem plebejum consulem fieri, ac si quis dicat, servum aut libertinum fieri, quamquam, ut illa rogatio perlata sit, etiamtum penes populum sit, utrum plebejus fiat nec ne, plurimumque intersit inter plebejum hominem et libertinum seu servum.

V, 1. 7.

Cuius decreti suppressa fama est Veis propter metum regis, qui, a quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe non vani sermonis auctore habebat.

Quaeritur, cur ille rumor, Etruscorum gentem decrevisse, ut auxilia Vejentibus negarentur, donec sub rege essent, vanus dicatur, cum paulo ante Livius eandem rem non ut incertum rumorem sed ut certissimam rem retulerit. Et Weissenbornio quidem Livius dicere videtur, regem illi decreto, quippe quod, ut ex §. 8 appareat, nondum fixum firmumque esset, nihil admodum momenti tribuisse. Imo omnis rumor seu verus seu falsus est, cum seditione comparatus vanus dici potest; est igitur summae severitatis, eos qui rumores spargunt iniquos, eodem loco habere atque eos, qui arma capiunt et ad vim inferendam descendunt, id quod in seditionibus fieri assolet.

V, 18. 2.

Qui priusquam renunciarentur, jure vocatis tribubus permissu interregis P. Licinius Calvus ita verba fecit.

Magnae offensioni sunt interpretibus verba jure vocatis tribubus. Et W. quidem ea supervacanea habet et inepta. Tribunos enim militares consulari potestate non tributis sed centuriatis comitiis solitos esse creari, interregi non licuisse tributa comitia habere, tribum denique, quae prima suffragium iniret, non praerogativam appellatam esse sed principium. Quas ob causas Th. Mommsenii conjecturam commendat verba jure vocatis tribubus mutantis in iis revocatis. Qua emendatione, vereor, ne Livius corrigatur non librarii et ut non nego, si in textu esset, omnia recte sese habitura esse, ita non concedo eam necessariam esse, si quidem, quod semel Livio accidit, ut, quod centuriatorum comitiorum esset, id tributis comitiis tribuerit, cf. Weissenborn. ad VI, 21. 5, idem hoc loco ei accidisse statuere licet. Id si concesseris, verba suspecta jure vocatis tribubus non solum apta huic loco, sed etiam necessaria

esse apparebit, quia, postquam praerogativa suffragium inierat, non continuo ii, qui ab ea creati essent, renuntiari poterant tribuni. Debebant enim, priusquam renunciari possent, etiam ceterae centuriae, quae jure vocabantur, suffragium inire. Quae quum ita sint, dubito, num scriptor illud tacitum relinquens, ubi de suffragio praerogativae mentionem fecit, continuo pergere potuerit, priusquam renunciarentur. Itaque addendum videtur fuisse tribubus jure vocatis, dummodo ne, id quod W. fecit, cum iis quae sequuntur sed commate post verba jure vocatis tribubus transposito, cum iis quae antecedunt, conjungantur nec categorico, ut ita dicam, sensu sed hypothetico intelligantur. Quod qui a centuria praerogativa creati essent, quamquam ceterae centuriae jure vocatae illius suffragium sequi solebant, tamen non continuo renunciari poterant, scriptor tanquam sese ipse emendans addit jure vocatis tribubus i. e. quod scilicet fieri non poterat, nisi ceteris centuriis jure vocatis.

V, 26. 6.

Camillus captivum indicem ex agris secutus ducem — superioribus locis se ostendit.

Quid sibi vult captivum indicem secutus ducem? Scribe **indidem** ex agris. Haec ratio loquendi tam crebro et apud Livium et apud Ciceronem invenitur, ut ne operae quidem pretium sit, exempla ejus usus afferre. Sed id nolo silentio praeterire, eandem conjecturam, posteaquam in eam incidi, me vidisse jam a Kernio Stuttg. publice propositam fuisse. Id quum Weissenbornium non fugerit, vide ed. alt. Teubn. Vol. I. p. CXXVII, miror, quamobrem eam in textum non receperit. Lectio **indidem** plane inepta est, mutatio autem ea, ut facilior cogitari non possit.

V, 26. 10.

Videbaturque aequae diuturnus futurus labor ac Veis fuisset, ni fortuna imperatori Romano simul et **cognitae rebus bellicis virtutis specimen et naturam victoriam dedisset.**

In his verbis interpretandis Weissenbornius quamquam negat satis liquere, specimen nominativus esset, an accusativus, tamen potius sibi videri ait specimen nominativum esse quam accusativum. Itaque hanc fere statuit sententiam esse hujus loci: „wenn nicht das Glück und zugleich die bereits in den Kriegen erprobte Tüchtigkeit, Seelengrösse nicht nur eine langwierige Belagerung, die man fürchtete, abgewendet, sondern sogar einen schnellen Sieg gegeben hätte.“

De quo loco eo magis quid judicem expromere audeo, quod doctissimus ille vir significare videtur, in eo interpretando non plane se sibi satis fecisse.

Ac primum quidem dubito, num quis dicere possit, virtutis specimen naturam victoriam dedisse, etsi satis recte dici possit, fortunam dedisse naturam victoriam. Deinde quisnam dat specimen rei cognitae? Denique quis credit, Camillum, postquam Gallos fuderit summamque gloriam bellicam sibi pepererit, ab eodem scriptore, qui omnes res ab eo gestas exposuit, dici specimen virtutis bellicis rebus cognitae edidisse! Accedit, quod Camillus illum perfidum ludimagistrum Faliscis tradens non **bellicae** virtutis sed animi

magnitudinis specimen edidit. Quamobrem verba cognitae rebus bellicis virtutis pro spuris habenda mihi videntur ab eo interposita, qui, ut doctrinae suae specimen ederet, annotaret bellicis quidem rebus cognitam jam fuisse Camilli virtutem. Quibus verbis ejectis nihil difficultatis videtur restare, dummodo specimen non nominativum sed accusativum esse judicemus. Nec scrupulum mihi injicit, quod W. dicit **maturam victoriam** opponi diuturno labori non virtutis specimen.

Est enim hoc proprium et Romanorum et Graecorum, ut pro insito animis vigore, antequam contrarium, quod in mente habent, proferant, non raro aliam notionem interponant, ei ipsi, quam opposituri sunt, contrariam. Eadem ratione explicandus mihi videtur Hom. Il. XXII, v. 109, ubi Hector dicit:

ὦς ἱρίουσιν ἰμοὶ δὲ τότ' ἄν πολὺ κέρδιον εἶη,
 ἄντην ἢ Ἀχιλῆα κατακτείναντα νείσθαι
 ἢ ἔ κεν αὐτὸν ὀλέσθαι εὐκλειῶς πρὸ πολῆος.

Hector, ubi metuere se dixit, ne in urbem refugiens Trojanis irrisui foret, pergit: tum multo satius mihi fuerit, resistentem aut Achille interemto redire aut ipsum pro moenibus interire. Cuius autem appareret, Hectorem in animo habuisse dicere, satius sibi futurum esse vel interire pede cum Achille collato. Sed antequam quod unum satius esse dici potest profert, animum ejus subit cogitatio, fieri posse, ut resistens Achilli eum vincat, idque interponit.

Ejusdem generis est Cic. in Caec. 1.: Cum quaestor in Sicilia fuisset, iudices, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus jucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem: factum est, uti cum summum in veteribus patronis multis tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur.

Manifestum est, alteram enuntiationem non manare ex protasi, sed eam ut poneret, oratorem adductum esse ea demum sententia, quam in animo habebat pro apodosi ponere.

Sic Livius quum dicturus fuisset, id quod vir ille doctissimus vult, ni fortuna maturam victoriam dedisset, in mentem ei venit, simul Camillo occasionem oblatam esse specimen virtutis edendi. Matura autem victoria et specimen virtutis recte a scriptore inter se opponuntur. Plerumque enim, quibus fortuna maturam victoriam dat, iisdem virtutis ostentandae occasionem denegat.

VI, 20. 8.

Ad hoc servatos ex hostibus cives produxit, inter quos C. Servilium magistrum equitum absentem **nominatum**.

Verba inter quos — nominatum quaeritur et quo sensu intelligenda sint et unde pendeant. Et Alschevskius quidem ea pendere censet ex voce **dicunt** quae supplenda sit. W. autem id nimis durum esse nec qui abesset produci posse dicens, C. Servilium — nominatum e verbo produxit pendere putat et magistrum equitum absentem nominatum pro attributo habet. Cum alios cives produxit, tum C. Servilium, qui magister equitum absens nominatus erat. Sed mirum est, Livium, quo loco debuit dicere Servilium absentem magistrum equitum nominatum esse, non commemorasse, com-

memorare hoc loco, a quo id commemorare alienum sit. Quid igitur? In verbo producendi minus urgendus est locus, quo illi cives adducuntur, quam consilium, quo adducti esse dicuntur. Quod si concesseris, non videbitur offendo, si scriptor brevitatis causa eadem voce de absente utitur, idque eo minus, si addit nominatum. Provocavit igitur ad multos cives a se servatos, quorum ceteros in concionem adduxit, unum C. Servilium, quia aberat, nominavit.

VI, 30. 6.

Quidquid superfuit fortunae populi Romani, id militum etiam sine rectore stabilis virtus tutata est.

Fortunae seu genitivum esse censes ut W., seu ut alii dativum, non videtur ferri posse. „Id enim, ut ait Gronovius, nimis elate et inflate dictum est. Alliam aut Cannas cogites. Non tantae erant illae copiae ab hostibus victae, ut illis deletis Romani de summa rerum periclitarentur.“ Quamobrem idem Gronovius legendum censet: **quidquid superfuit (nempe de his exercitibus) fortuna populi Romani et militum etiam sine rectore stabilis virtus tutata est.** Nec tamen videtur esse, quod, ut ille faciendum putavit, duo vocabula mutemus, fortunae et id. Sufficit fortunae mutasse in fortuna. Quo facto sic interpretare: Quidquid copiarum superfuit fortuna populi Romani i. e. quidquid non primo statim impetu hostium oppressum et caesum erat, quidquid fortuna ipsa urbis Romanae ab interitu vindicaverat, id fortitudo ipsorum militum, etsi a rectoribus destituti erant, tutata est; qui non primo hostium incursu caesi erant, id quod ne fieret, per socordiam enim rectorum fieri id poterat, nil nisi fortuna impediverat, ii fortissime pugnantes sese servaverunt.

VI, 36. 12.

An placeret foenore circumventam plebem, ni potius quam sortem creditum solvat, corpus in nervum ac supplicia dare et q. s.

Hunc locum alii aliis conjecturis sanare conati sunt. Fr. Gronovius ni expungendum et sortem in sorte mutandum censuit. Quam conjecturam ut probaret, Drakenborchius adjecit, illam particulam reapse in nonnullis codd. deesse eamque natam videri ex repetita antecedenti literula m eodem modo, quo ex eadem litera m nata esset nonnunquam praepositio in. Aliam viam ingressus est Alschefskius, qui ni verissimum iudicans sortem in sorte mutato verba sic interpretatur: „oder ob sie es billigen könnten, dass das von der Schuldenlast niedergedrückte Volk seiner Freiheit verlustig gehe, wenn es nicht höher als mit dem blossen Capitale das Geborgte wiederbezahle.“ Sed valde dubito, num potius eo sensu dici possit. Miror, ne W. quidem Gronovii lectionem amplexum esse. Verissima videntur, quae Gronovius ad eam commendandam dicit: „Creditum foenus, inquit, non solvitur sola sorte restituta, usurae accedant oportet. Id autem volebat lex, quam illi ferebant, ut foeneratores sorte contenti essent, si nempe de capite deducto eo, quod usuris pernumeratum esset, reliquum aequis portionibus redderetur.“ Crimini igitur datur patriciis, quo nihil acerbius dici potuit, malle eos plebem foenore circumventam corpus in nervum ac supplicia dare,

quam recipere, quod sorte danda credidissent. Tanta dicitur esse eorum malignitas et saevitia, tantopere delectari dicuntur suppliciiis debitorum, ut sua perdere quam illa voluptate carere malint.

VII, 5. 9.

Cum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam et antea, sicut nunc quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant), secundum in sex locis tenuit.

Miror a nullo notatum esse, ea verba, quae in parenthesi posita sunt, nam et antea — faciebant, aptam sententiam non praebere. Qui enim quae antecesserunt verba, eo anno primum tribunos militum ad legiones suffragio fieri placuisse, explicari possunt commemorando etiam antea, ut Livii temporibus, qui Rufuli vocarentur, ab imperatoribus ipsis fieri solitos esse? Quamobrem verissime mihi videtur iudicavisse Dukerus censens ille et abesse posse; vellem dixisset debere, nisi cui potius videtur post et vox ceteros excidisse. Qua reposita hic nascetur sententiarum ordo: Tum primum placuit tribunorum quendam numerum populi suffragio creari; nam ante illud tempus etiam ceteros, non solum eos, qui Livii aetate ab imperatoribus ipsis fiebant quique Rufuli nominabantur, ipsi imperatores faciebant. Hoc autem addit scriptor, quod, si quis minus gnarus esset antiquitatis, mirari potuit, quaenam antea obtinisset tribunos militum creandi ratio.

VII, 15. 4.

Ipsa dictator, postquam labantem una parte vidit aciem, signa in laevum cornu confert.

Quum scriptor initio ejusdem capituli dixisset, acius invasisse Gallos dextrum cornu nec sustineri potuisse, ni forte eo loco dictator fuisset, interpretes mirabantur, eundem hoc loco dicere a dictatore postea signa in laevum cornu collata esse. Etenim Gallos dextrum Romanorum cornu non potuisse invadere nisi suo laevo; qui igitur dictatorem, qui jam cum laevo hostium cornu pugnasset, dici posse signa in laevum hostium partem contulisse? Quae difficultas ut tolleretur, Drakenborchius superiore loco dextrum cornu in dextro cornu mutandum esse censuit, ut dextrum cornu non esset Romanorum sed hostium. W. autem suspicatur Livium hoc loco dicere id cornu laevum, quod laevum videretur a Romanorum parte. Sed nec ad Drakenborchii emendationem nec ad W. explicandi rationem videtur descendendum esse, dummodo verba signa conferre in laevum cornu recte intelligantur. Dextrum cornu hostium dictator quum turbasset equitibus, quidquid copiarum habebat, ipse in laevum sui exercitus contulit i. e. transduxit, quippe quod turba hostium in eam partem sese congregante premi vidisset.

VII, 39. 10.

Quem patrum aut plebis esse, qui aut se tanto periculo sciens offerat aut cui ex iniuria insanientis exercitus causa recte committatur?

Magna militum Romanorum manus, cui nihil ad justum exercitus formam nisi dux deerat, sub iugo

Albae longae considerat eo consilio, ut a Romanis descisceret agrumque Campanum armis occuparet. Milites inter se consultabant, quem ducem eligerent, nulli ex iis, qui aderant, satis fidentes, quis autem Roma acciri posset, nescientes. Jam illa verba sequuntur quae attulimus. In quibus quidam interpretes id offenderunt, quod exercitus diceretur ex injuria insanirens. Dukerus „non intelligo, inquit, sententiam horum verborum. Ex injuria insanire dicuntur, qui eam acceperunt. — At his injuria nulla facta, verum ab ipsis orta erat. Nisi quis hoc ita accipiendum putet, ut Livius significet hos ex eo genere fuisse, qui cum injuriam aliis fecerint, idque intelligi videant ipsi, quasi injuria accepta expostulant.“ Sic Dukerus. In eandem sententiam discedit Alschefskius haec dicens: „Cum de se ipsi milites suae conditione judicent, recte dici potest „exercitus ex injuria insanientis causa“; magna enim injuria sibi videbantur affecti, nec sine graviore causa a republica secessisse, qui alii ex aliis causis tanquam impii cives ab exercitu exclusi quaestiones suppliciaque passuri Romam mitterentur“. Tamen W. verba obscuriora esse censet, quod Livius nusquam commemoraverit illos milites injuria affectos esse. At nonne Livius satis clare indicavit, quibus injuriis illi affecti sibi visi essent querentes eos faciens c. 38 §. 7: an aequum esse et q. seqq.? At aliud restat dignum quod paucis verbis explicetur. Etenim non apparet primo obtutu, quid attineat insanientem ex injuria exercitum hoc loco dicere. Utrum exercitus insaniat nec ne, minime pertinere videtur ad ducem eligendum, cui ejus causa recte committatur. Tamen illa verba, si rem accuratius consideraveris, non videbuntur otiosa. Desperant enim quemquam posse inveniri, qui sciens, quanto periculo sese objecturus esset causa exercitus suscipienda, eam suscepturus esset, aut cui, si quis eam suscipere vellet, ea committi posset. Cui enim recte nisi iisdem injuriis affecto eamque ob causam et ipsi insanienti insanientis exercitus causam committi posse?

XXIV, 25. 2.

Quid enim sua sponte fecisse Hieronymum puerum, ac vixdum pubescentem facere potuisse?

Fuerunt, qui fecisse extirpandum esse censerent. Fabrius autem, quamquam ea voce omissa oratio melius procedere videretur, tamen contra omnium codicum auctoritatem eam vocem deleri debere negat eumque locum sic explicat: „negat sua sponte fecisse quidquam Hieronymum puerum atque etiam, qua aetatis imbecillitate fuerit, ne potuisse quidem facere.“ Optima sane ea sententia est, at non videtur inesse Livii verbis. Nec enim eam vim verba ac vixdum pubescentem habere videntur posse quam Fabrius statuit interpretans, qua fuerit aetatis imbecillitate. Pubescere enim qui dicitur puer, is accedit ad aetatem adolescentuli, is prope excessit pueriles annos. Quid igitur? Videntur verba aliter ac solent distinguenda. Non debent separari, ut interpretes fecerunt, puerum ac vixdum pubescentem sed commate transposito jungenda sunt in hunc modum: quid enim sua sponte fecisse Hieronymum, deinde jungenda sunt puerum ac vixdum pubescentem facere potuisse. Utriusque verbi subjectum est Hieronymum, cui in altero membro additur appositionis loco, puerum ac vixdum pubescentem. Gradatio igitur, quam recte W. requirit, continetur verbo potuisse. Negat igitur sua sponte quidquam fecisse Hieronymum — ne potuisse quidem facere, quippe qui puer esset ac vix pu-

bescens. Quae ratio si durior videtur, quid obstat, quominus **quid** ante puerum putemus excidisse? **Quid** fecisse Hieronymum, quid puerum ac vix pubescentem facere potuisse?

XXVII, 13. 5.

Omitto ea, quibus gloriari potestis: cuius et ipsius pudere ac poenitere vos oportet, referam.

Magnam mihi exhibent difficultatem verba et ipsius. Fr. Gronovius satis habens lectionem codicum auctoritate defendisse de sententia quid iudicaret non ostendit. Drakenborchius autem adjicit ipsos pro ipsius, dummodo manuscriptorum auctoritate firmaretur, magis sibi placere. Quae W. locum explicans affert: „ich will übergehen, da ihr diesen Ruhm verloren habt, dagegen will ich etwas erwähnen, dessen ihr euch an sich betrachtet und mit den früheren Thaten verglichen, gleichfalls wie der heutigen Schlacht schämen müsst, das aber doch weniger schimpflich ist als eure Flucht“, ea confiteor me non magis intelligere quam scriptoris verba. Quid enim? Si Marcellus dicit referre se velle, cuius et ipsius pudere ac poenitere milites oporteat, duae debent res esse, quarum eos pudere ac poenitere oporteat. Sed ego quidem non video nisi unam, quod terga verterunt hosti, quem superiore aestate saepe fusum fugatumque pridie nec iter facere nec castra metari passi essent. Quam difficultatem nisi quis solvat, verba et ipsius extirpanda esse censeo, etiamsi non possum dicere, quomodo factum sit, ut interponerentur.

XXVII, 16. 11.

Ne tamen fugientis modo convertisse agmen videretur, quo **constituerat** loco, quinque millia ferme ab urbe posuit castra.

Constituerat W. interpretatur: Halt gemacht hatte, um auszuruhen addens solere adjungi **signa, agmen** et quod ejus modi objectum hoc loco deesset, esse qui suspicarentur **constiterat** scribendum esse. Mihi quidem lectio integra sed minus recte intellecta videtur esse. Ad **constituerat** ex iis, quae sequuntur, supplendum est **castra ponere**. Hannibal cum comperisset, Tarentum, quod ut a Romanis defenderet, dies noctesque cursim agmen egerat, captum esse, tamen ne fugientis modo convertisse agmen videretur, quo **constituerat** loco castra ponere, antequam comperisset, urbem captam esse, quinque millia ferme ab urbe posuit castra.

XXVII, 17. 11.

Scire enim se transfugae nomen execrabile veteribus sociis, novis suspectum esse neque cum se reprehendere morem hominum, si **iam** anceps odium causa, non nomen faciat.

Librorum lectio quum sit **tam**, W. **tam** conjunctum cum **anceps** negat ferri posse. Qua in re ei assentior. Minus mihi probatur, quod reponendum esse censuit **jam**, interpretans si **jam**: wenn wirklich. Quam eorum verborum vim ut probet, quos affert locos, ii mihi ita comparati videntur, ut quod probandum est iis non probetur. Examinemus eos: 39, 25. 7. quod ea oppida si **jam** redderentur

sibi (i. e. postquam ea tam diu obtinisset), spoliata redditurus esset. 34, 2. 7. si foeminas ad concitandas tribunicias seditiones jam adduxistis i. e. si jam eo ventum est, ut. Ovid. Her. 3, 67. Si tibi jam reditusque placent et quae seqq.; eo et ipso loco jam de tempore intelligendum est. Cic. Sull. 7, 22. Si jam tibi hoc concedam. Postquam complura ab accusatore prolata a Cicerone refutata sunt, quid simplicius quam ad novam rem procedentem cum addere jam? W. adjicit quidem etiam alios superesse locos, quibus si jam illam vim teneat: wenn wirklich, sed nisi aliter comparati sunt, nihil illis probatur. Quae quum ita sint, praeferenda videtur emendatio tamen ab aliis editoribus recepta. Idem mendum jam pro tamen deprehenditur 22, 59. 13, nisi quod illo loco unus codex melioris notae habet si tamen. Nihilo tamen secius etiam illo loco W. si jam in textum recipiendum putavit. Alschefskius et Fabrius retinuerunt si tamen i. e. si quidem.

XXVII, 25. 8.

Negabant (pontifices) unam cellam duobus recte dedicari, quia, si de coelo tacta aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret, quod, utri deo res divina fieret, sciri non posset; neque enim duobus nisi certis deis rite una hostia fieri.

W. affert notam Servii ad Virg., unde apparet certos deos terminum technicum quem vocant fuisse; pontifices enim dixisse singulis actibus proprios deos praeesse eosque a Varrone certos deos appellatos esse; sed W. ipse dubitat, utrum Livius illa verba eo sensu intellecta voluerit an potius eo, ut certi quidam dii significantur a pontificibus nominati. Mihi quidem neutrum videtur verum esse, quoque sensu certi dii accipiendi sint, ex ipsius Livii verbis apparere. Vetant pontifices duobus diis unam cellam dedicari. Cur? Quia, si prodigium procurandum esset, sciri non posset, utri deo res divina fieret. At enim: sacrificabant, inquires, uter deus placandus erat, is sibi factum sciebat. Id nimirum vetabant pontifices. Quippe non satis dignum erat numini divino operari sine certo consilio. Sacrificium deo non potest acceptum esse, nisi is, qui rem divinam facturus est, scit, uter deus auctor prodigii fuerit, uter placandus sit. Quid restabat, nisi ut, quo alterutrum placaret, utrique hostiam offerret, quod ipsum pontifices fas esse negabant?

XXVII, 47. 10.

Et per tortuosi amnis sinus flexusque cum errorem volvens haud multum processisset *** ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus.

Post processisset verbum apodosi deesse apparet. Sed non adstipulor Weissenbornio verbum motum significans excidisse suspicanti, veluti tamen ire pergat seu tamen non abstitit, id quod ex sequenti periodo intelligatur. Ego ita rem mihi fingo. Primum Hasdrubal censet, quamvis nox obstaret, iter non esse remittendum et signa ferri jubet; ita quum nihil profici vidisset, substitit, ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus. Sed orta luce quum denuo progredi coepisset, ut opportunum transitum quaereret, frustra quae quae quae, diem terendo spatium dedit ad insequendum sese hosti. Quodsi quis putet, permulta me excogitavisse, quae scriptor dicere debuerit, consideret is quod Cic. ad Her. I, 9. 14. dicit; rem bre-

viter narrare poterimus, si exitus rerum ita ponemus, ut ante quoque quae facta sunt sciri possint, tametsi nos reticuerimus.

XXVII, 50. 4.

Nero ea nocte, quae secuta est pugnam, citatiore quam inde venerat agmine die sexto ad stativa sua atque hostem pervenit.

Haec periodus quomodo expedienda sit, non video, quamquam nemo adhuc offendit. Vide modo: Nero pervenit die sexto ad stativa citatiore agmine quam inde venerat; haec optime se habent; sed quid faciendum reliquis verbis: ea nocte, quae secuta est pugnam? Non dubito, etiamsi in nullo codice inveniatur, excidisse „profectus.“

XXVIII, 15. 5.

Nam super cetera elephantibus etiam — e cornibus in mediam aciem sese intulerant.

Nexum sententiarum minus clarum esse dicens W. Livium **jam** vel **tum** scripsisse suspicatur: „Der Gedankenzusammenhang ist nicht klar; wenn Livius nicht etwa **jam** oder **tum** geschrieben hat, ist anzunehmen, dass entweder der zu begründende Gedanke fehlt: indess auch in dieser Stellung konnten sie nicht bleiben, denn u. s. w.; oder dass das den Rückzug veranlassende Moment als das wichtigere wie 26, 5. 5. vorweggenommen und als selbständiger Satz behandelt ist, da man etwa folgenden Zusammenhang erwartet: atque fessi, cum elephantibus etiam — sese intulissent, — retulere pedem.“ Mihi non videtur ad talia esse descendendum, res plana ac simplex videtur. Ad medias acies aliquanto serius pervenit pugna. Nam ad ea quae Scipio prudenter instituerat, ne, quod robur Poenorum exercitus erat, pugnam capesseret, antquam cornua hostium devicta essent, id quoque accessit, quod forte fortuna elephantibus e cornibus in mediam aciem sese intulerant, ut eo etiam **minus** cum Romanis congredi possent.

XXVIII, 14. 19.

Et iam conflixerant cornua, cum, quod roboris in acie hostium erat, Poeni veterani Afrique nondum ad teli coniectum venissent, neque in cornua, ut adiuverent pugnantibus, discedere auderent, ne aperirent mediam aciem venienti ex adverso hosti.

Hoc loco verba **ne aperirent** Weissenbornio offensioni sunt, primum quod **aperirent** in codice optimaee notae desit, deinde quod altera enuntiatio desideretur a **neque** incipiens. Quod **aperirent** in optimis codd. deest, critici videant, quid faciendum sit. Sententia vero illorum verborum talis est, ut plane nihil offendere possimus. Hoc enim dicit scriptor: quum cornua jam conflixissent, media acies Poeni veterani Afrique nondum ad teli coniectum venerant, neque tamen, ne aperirent mediam aciem venienti ex adverso hosti, discedere audebant; igitur id, quod roboris in Hasdrubalis exercitu erat, stabat pugnam non capessens. Quod idem Polybius dicit eo, quem W. affert loco: οὔτε παραβῆθαι ἠδύνατο τοῖς ἐπὶ τῶν κεράτων λιπόντες τὸν ἴδον τόπον διὰ τὴν τῶν Ἰβήρων ἰσροδὸν i. e. discedere in cornua non audebant, ne aperirent me-

diam aciem, οὔτε μένοντες ἐνεργεῖν τι τῶν δειόντων οἷοί τ' ἦσαν i. e. nondum ad teli conjectum venerant. Quae si vera sunt, nihil videtur causae esse, cur ad conjecturas decurratur.

XXVIII, 41. 13.

Quid si — quod omnes dei omen avertant et dicere etiam reformidat animus, sed quae acciderunt accidere possunt — et victor Hannibal ire ad urbem perget, tum demum te consulem ex Africa sicut Q. Fulvium a Capua arcessemus? quid? quod in Africa quoque Mars communis belli erit?

In quibus verbis W. et victor offensionem est: „und zwar als Sieger, s. c. 44. 11, nicht aus Noth wie 26, 9 f., doch ist die Verbindung hart, nicht minder aber, wenn man einen Satz: quod accidit, accidit ergänzen wollte.“ Mihi particula copulativa verba victor Hannibal et q. sq. conjungi videntur cum ea sententia, quam dicturus fuerat Fabius, sed ne male ominaretur, reticuit, hunc in modum: Si P. Licinius fusus erit et victor H. ire ad urbem perget. Si — est aposiopesis.

XXVIII, 43. 4.

Sic enim honores suos et famam rerum gestarum extulit verbis ad extinguendum invidiae crimen, tanquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum aemuletur, et non ab eo, qui quia super ceteros excellat, quoque niti non dissimulo, me sibi aequari nolit.

Vulgata lectio quum fuisset **quo me quoque**, J. Fr. Gronovius, quia verba **quo me** in codd. deessent, ea rejecta censuit legendum **quo et me** et quae seqq. Drakenborchius codd. lectionem **quoque** defendit, censens **quoque** pro **et quo** accipiendum et pronomen **me** omissum esse quod verbo **dissimulo** insit. Cui, miror, quod W. assensus est complures locos addens, in quibus et ipsis subj. inf. supplendum sit, ut 31, 1. 1. etsi profiteri ausum perscripturum res omnes Romanas; 2, 12. 14. juberem — macte esse; 27, 19. 9. Numidam esse ait, quin etiam Z. §. 605 citans. Frustra ni fallor. Primum enim quaero: cui tandem sententiae sententia, quo niti non dissimulo, per particulam **que** adjungatur? Deinde, num illa exempla comparari possint cum hoc, in quo cardo rerum versatur in opponendis Scipione et Fabio. Monstret mihi quispiam exemplum, in quo id ipsum vocabulum desit, quod principem locum obtinet. Quod se quoque eo niti profiteatur, ut super ceteros excellat, periculum nasci dicit Fabio ipsum sibi aequari nolenti. Quae quum ita sint, non dubito, quin aut vulgata **quo me** retinenda aut Gronovii conjectura amplectenda sit.

Quae seqq. verba sic senem reliqq. W. minus recte videtur explicuisse dicens: „er hat einen solchen Nachdruck auf das Alter gelegt, als ob nur in diesem Ruhm erlangt werden könnte.“ Imo, ni omnia me fallunt, hoc Scipio vult: Fabius aemulationem judicat non esse posse nisi aequalium, quamobrem et suam senectutem et juvenilem aetatem meam ita premit et exaggerat; injuria, nam viri excellentes cum viris excellentibus omnium aetatum aemulantur. Neque enim gloria angustis finibus aetatis humanae circumscribitur.

XXVIII, 44. 1.

Sed quid ultro metum inferre hosti et ab se remoto periculo alium in discrimen adducere quale sit veteribus externisque exemplis admonere opus est?

Ea verba sequuntur in recentioribus codd. haec: majus praesentiusque exemplum esse quam Hannibal potest? Ea verba W. ejecit. Audiamus ipsum: „sie entsprechen jenen Worten (veteribus externisque exemplis) nicht genau, und der Redner konnte diesen Gedanken errathen lassen, um zunächst aus der Natur der Sache im Gegensatz zu den Beispielen seinen Beweis zu führen, §. 2—3, dann das Beispiel Hannibals berühren und durch dasselbe zugleich den Uebergang zu den von den italischen ganz verschiedenen Verhältnissen in Afrika machen.“ Sane potuit scriptor omissis Hannibalis exemplo pergere ad rem per se demonstrandam, postea Hannibalis exemplum commemoraturus. Non potuit, si id in animo habuit, ab exemplis prolatis ad naturam rerum exponendam transgressurus hoc dicere: sed quid ultro metum inferre hosti — veteribus externisque exemplis admonere opus est? multum interest. Dicere potuit: Quid opus est exemplis admonere reliq.; per se patet multum interesse. Si vetera exempla externaque scriptor dixit, non potuit non opponere alia exempla, quae nec vetera essent nec externa. Jam qui id offendit, quod huic, quod adjungit exemplum, addit attributa majus praesentiusque illis non plane contraria, is nimis augustis finibus scriptoris ingenium circumscribere videtur. Hannibalis exemplum non solum recens et magis ad Romanos pertinens sed etiam maximum fortunae humanae vicissitudinis est.

Satis habeo exposuisse, cur illa verba huic loco retinenda mihi videantur; num fas sit, verba vel optime loco convenientia imo necessaria, si in recentioribus tantum codd. inveniantur, retinere, alii videant.

XXVIII, 44. 18.

Si **ulla** alia re, modestia certe et temperando linguae adolescens senem vicero.

Discrepant inter se libri de lectione **ulla** re aut **nulla**. W. quidem Gronovium secutus recepit **ulla** idque ita defendit, ut dicat: „es lässt unentschieden, ob er ihn auch in andrer Beziehung übertreffen werde, aber die Möglichkeit dazu offen — si **nulla** könnte nach dem Tone, der an der Stelle herrscht, bedeuten, dass er Anspruch darauf macht, ihn schon in andrer Beziehung zu übertreffen.“ Alia ratione Gronovius illam lectionem defendit. „Sperabat, inquit ille, multis aliis quoque vel potius omnibus rebus sese superaturum gloriam Fabii: tam mares gerebat spiritus Scipio non ex invidia aut vanitate sed ex vera conscientia verarum sibi insitarum virtutum et eorum quae jam gesserat respectu: id quod tota haec oratio clamat. Ergo si **ulla**: nam alterum est magis desperantis aut desperationem prae se ferentis.“

Mirum est, quantopere inter se differant Gronovii et Weissenbornii judicia: ille dicit, **nulla** esse desperantis aut desperationem prae se ferentis, ob eamque causam praeoptat **ulla**; hic concedit **nulla** significare posse, Scipionem hoc sibi sumere, ut etiam aliis rebus illum a se vinci dicat.

Ut appareat, utra utri lectio praeferenda sit, quaerendum est, quam utraque vim habeat, idque invenietur, si alios locos a W. allatos, in quibus **ullus** aut simile vocabulum invenitur, perpenderit.

Liv. 31, 7. 3. Hoc quantum intersit, si unquam alias, Punico certe proximo bello experti estis i. e. cum alias tum vero maxime. Cic. Finn. III, 3. 10. Erat enim, si cujusquam, certe tuum nihil praeter virtutem in bonis ducere i. e. cum aliorum sit, tum vel maxime tuum est. Cic. Mil. 4, 7. Si tempus est ullum jure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo justum i. e. cum alia multa tempora sunt — tum maxime justum est.

Quam ob causam sententia hujus loci, si ulla legeris, non erit nisi haec: cum multis aliis rebus, tum vero modestia et temperando linguae senem ab adolescente victum esse judicabitis. Quae sententia, quis non videt, quam non sit apta? Dum enim modestiae laudem sibi tribuit, inepte gloriatur. Jam vero, qui dicit si nulla alia re modestia certe et temperando linguae adolescens senem vicerit, concedit illi fieri posse, ut nulla alia re alterum vicerit, sed ita concedit, ut quae sit vera animi sententia non lateat. Quae si vera sunt, dubitari mihi videtur non posse, quin nulla legendum sit.

XXIX, 18. 18.

Nostras iniurias nec potest nec possit alius ulcisci quam vos, patres conscripti.

Quam vim habet **possit post potest**? W. quidem explicat sic: „es kann wirklich keiner und es lässt sich keiner denken, der könnte; oder es möchte es keiner können, wenn er wollte (si velit)“ addens eam indicativi et potentialis conjunctionem rariorem esse. Imo vereor, ne nusquam inveniatur talis indicativi et potentialis conjunctio, qualis hoc loco W. videtur esse. Exempla enim, quae satis multa ejus affert usus, Cic. Inv. I, 51. 96. Or. 2, 83. 339. 3, 43. 170. Famm. 13, 29. 1. Senec. Cons. ad Pol. 5 (21) 2. dissimillima sunt, quippe in quibus non ejusdem verbi indicativus et conjunctivus se sequantur. Quid igitur? Conjunctivus post indicativum non aliam vim habet quam 34, 3. 7. Procul abest absitque semper talis fortuna reipublicae, quem locum W. affert negans ejusdem generis illum esse atque hunc. Sensus enim hujus loci est: nec potest alius nec optamus ut alius possit. Crudelissima et atrocissima quaeque a Romano imperatore perpessi, ob quae jure Romanis succenserent, tamen negant misericordiam eorum implorantes cujusquam imperium unquam Romanorum imperio praeoptaturos.

XXIX, 31. 5.

Instando stimulandoque pervincit, ut exercitum ad fines Maesuliorum admoveat atque in agro, de quo saepe cum Gala non verbis modo disceptatum sed etiam armis certatum fuerat, tanquam haud dubii iuris sui, castra locet: si quis arceat, ut quod maxime opus sit, acie dimicaturum; sin per metum agro cedatur, in medium regnum eundum.

Alii et ipsi codd. auctoritate nisi legunt **id** quod maxime opus sit, referentes illi, ut dicit W., dimicaturum non ad Syphacem sed ad Masinissam, contra quos recte ille monet, quum eundum ad Syphacem referendum sit, videri ad eundem pertinere **dimicaturum**. Qua in re ut ei assentior, ita non possum cum eo facere ut quod praefertenti, quod ab hoc loco alienum videtur esse. Etenim qui a Gro-novio afferuntur loci, quibus ut qui invenitur, ii videntur alius generis esse: c. 33, 2. Interdiu

aperto itinere, ut qui signis collatis dimicaturus esset, movit castra. 7, 14. 6. ut qui magis animis quam viribus fretus ad certamen descenderet, omnia circumspicere. Quippe illis locis indicatur, quamobrem ille aperto itinere castra moverit, hic omnia circumspicere coeperit, hoc non, cur acie dimicaturus sit Syphax, sed tantummodo, si dimicaverit, id in ipsius rem futurum esse. Dimicaturus enim non potest dici, quod id maxime opus sit, sed quod cedere nolit eo agro, unde alter eum pelleri conabitur.

XXIX, 33. 7.

Ipse, qua intenderat, inter media tela hostium evasit.

Quum non id dicendum fuerit, ea via evasisse eum, qua intenderat, sed pervenisse eo quo intenderat, scribendum censeo quo.

XXIX, 35. 1.

Eodem forte, quo haec gesta sunt die, naves, quae praedam in Siciliam vexerant, cum commeatu rediere, velut ominatae ad praedam alteram repetendam sese venisse.

Miror omnes interpretes silentio transiisse verba velut ominatae et quae seqq. Quae si accuratius inspexeris, magnam difficultatem afferre videbuntur. Dicit enim videtur potuisse: tam mirum erat, quod illae naves eo ipso die redierunt, quo nova praeda imponenda erat, ut putares eas velut ominatas ad alteram praedam repetendam sese venturas esse rediisse, sive brevius: redierunt, velut ominatae, ad alteram praedam repetendam. Tamen verba sese venisse non debere ut spuria deleri, ex alio loco Liviano apparet, in quo eadem constructio invenitur: XXX, 32. 9. ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum ad Aegates pugnaverint insulas, ea illis exeuntibus in aciem portendisse deos. Sed ut difficultatem notavi, ita eam solvere non possum; nisi inf. perf. ita interpretandus videtur illo loco: naves redierunt velut ominatae fore ut venissent ad alteram praedam repetendam i. e. ubi altera praeda repetenda esset; hoc: ominatur, exeuntibus in aciem fore ut dii portendissent. Quod si verum est, apparet, infin. perf. his locis infin. fut. exacti vice fungi.

XXX, 13. 2.

Quantum quisque plurimum poterat, magnitudini Syphacis, famae gentis victoriam suam augendo addebat.

W. afferens ut similem locum 24, 32. 5 dicit augendo de conatu dictum esse. Id mihi minus rectum videtur. Dicit enim potuit: addendo quantum quisque plurimum poterat magnitudini Syphacis, famae gentis victoriam suam augebat, non videtur dici potuisse augendo, si ablativus est, addebat. Imo vero augendo datus est i. e. ad augendum, ut auget cf. XXI, 52. 8. vel ex antec. c. §. 18 data dextra obligandae fidei.

XXX, 30. 10.

Quod ad me attinebat, iam aetas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, iam secundae, iam adversae res ita fraudaverant, ut rationem sequi quam fortunam malim.

Ante W. legebatur erudierunt, pro quo plurimorum codicum auctoritatem secutus W. posuit fraudaverunt, quod ut explicaret, hoc adjecit: Alter und Glückswechsel haben mich so oft in meinen Erwartungen betrogen, alle Illusionen mir benommen (?). At quaenam aetas homines fallere solet? Juvenilis scilicet; ea igitur dici potuit fraudasse Hannibalem. Sed eam non esse intelligendam hoc loco apparet ex iis, quae addita sunt: senem in patriam revertentem, quae quidem verba plane otiosa essent, nisi sermo esset de longa aetate, quae non fraudat homines sed erudit. Quamobrem non debebat me quidem iudice lectio fraudaverunt recipi, quamvis in bonis inveniatur codicibus.

XXX, 31. 8.

Nunc cum prope manu consertum restituentem ac tergiversantem in Africam attraxerim, nulla sum tibi verecundia obstrictus.

Ea verba explicans W. haec annotat: „manu consertum Supinum; der Ausdruck ist der gerichtlichen Sprache in den Legislationen entlehnt, in denen die streitenden Parteien um den Gegenstand der Klage einen Scheinkampf begannen, s. Gell. 20, 10. 9. Varr. L. L. 6, 64. Der zum Kampf Auffordernde bediente sich der Formel: unde ibi ego te ex jure manu consertum voco. So ist an unserer Stelle Afrika gleichsam der streitige Gegenstand, zu dem hier Scipio den Gegner zum Kampfe gezogen hat; prope scheint den Gedanken blos zu mildern, da ihn Scipio nur aus der Ferne, nicht wie in dem eigentlichen Gebrauche unmittelbar zum Kampfe herbeigezogen hat.“

Haec quidem Weissenbornius. Complura sunt, quae illi interpretationi videntur ob stare. Et primum quidem prope non videtur aptum esse nec interpretatione W., quae satis obscura est, explicari; deinde mirum videtur, si Livius Scipionem cum Hannibale colloquentem fingit eo loquendi genere utentem, quod non esset perspicuum, nisi aut Romano aut homini erudito. Denique manu consertum si illam vim ei subjeceris et attraxerim non congruunt inter se. Dicit enim solet ut Cic. Mur. c. 12. vocare manu consertum. Quid igitur? Manu consertum non est supinum sed participium idemque fere valet ac si dixisset manu arreptum.

Oeffentliche Prüfungen der Klassen I, A, I, B, II. und III. der lateinischen Schule.

Freitag, 3. August, Vorm. 8—10 $\frac{1}{2}$. Prüfung der protestantischen Schüler der I., II. und III. Klasse in der Religionslehre.

10 $\frac{1}{2}$ —11. Prüfung der katholischen Schüler der nämlichen Klassen in der Religionslehre.

Prüfungen in den übrigen Unterrichts-Gegenständen der lateinischen Schule.

Samstag, 4. August, Vorm. 8—10. I. Kl. Abth. A. 10—12. I. Kl. Abth. B.

Montag, 6. August, Vorm. 8—10. II. Kl. 10—12. III. Kl.

Oeffentliche Preisevertheilung und Entlassung der Abiturienten

am Dienstag den 7. August Vormittags 10 Uhr.